

Kazimierz Nasiłowski

De distincione potestatis ordinis et iurisdictionis a primis Ecclesiae saeculis usque ad exeuntem decretistarum periodum peracta

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 19/1-2, 13-48

1976

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

KAZIMIERZ NASIŁOWSKI

**DE DISTINCTIONE POTESTATIS ORDINIS ET IURISDICTIONIS
A PRIMIS ECCLESIAE SAECULIS USQUE AD EXEUNTEM
DECRETISTARUM PERIODUM PERACTA**

Introductio

Diligenter elaborandi et fontibus iuris fundandi problematis distinctionis principalis potestatis in Ecclesia necessitatem nostris temporibus canonistis impositam esse satis inter omnes constat. Quod enim ad dissertationes ad hoc problema pertinentes attinet, editi sunt adhuc pauci commentarii, qui fontibus munitas conclusiones proferunt, quorum nonnulli plurimum ad illas quaestiones explanandas conferunt, ut *Stickleri* commentatio, quae est *Die Zweigliedrigkeit der Kirchengewalt bei Laurentius Hispanus*¹, sed saepe in manibus nostris versantur libri falsis opinionibus referti quas hic enumerare longum est quas vero accurate collegeram et alia disseratione refutandas reservaveram, quam typis mandandam paravi.

Habemus quidem opus *M. Van de Kerckhove* anno 1937 typis impressum², sed iam hodie magna ex parte obsoletum et nostrae impar aetati. Ad haec problemata inquirenda maxime nostris temporibus adhortatus est et ipse multa publici iuris fecit, quae eas quaestiones dilucidarent, *Klaus Mörsdorf*, Universitatis Ludovici Maximiliani Monachii Professor Clarissimus et Director Instituti Canonistici eiusdem Universitatis egregius. Cum tamen euis investigationes systematicam potius quam historicam rationem sapiant, multae analyses historicae, quae fontibus fundentur, denuo suscipiendae desiderantur, nam variae conclusiones cum veteres tum recentiores iam hodie respuendae sunt. Hinc magna synthesis historica multorum saeculorum operibus indagatis expe-
titur, quod partitae syntheses et ad nonnulla tantum tempora re-

¹ *Alfons M. Stickler, Die Zweigliedrigkeit der Kirchengewalt bei Laurentius Hispanus: Ius Sacrum, Klaus Mörsdorf zum 60. Geburtstag, herausgegeben von Audomar Scheuermann und Georg May, München—Paderborn—Wien 1969, pag. 181—206.*

² *La notion de jurisdiction dans la doctrine des Décretistes et des premiers Décretalistes de Gratien (1140) à Bernard de Bottone (1250): Études franciscaines 49 (1937), pag. 420—455.*

dundantes in gravissimum erroris periculum incurrunt, cum non solum singuli textus fontium aliis textibus, sed etiam cuncti alius aetatis fontes cunctis alius aetatis fontibus explicari et dilucidari debeant.

Cum inde ab anno 1959 an annum 1962 in Instituto Canonistico, quod supra laudavi, studiis meis vacarem, Professor Mörsdorf quaestionem distinctionis principalis potestatis in Ecclesia apud decretistas obviam explanare ac pervestigari mihi suadebat. Hoc opus a me susceptum et in posterioribus annis hic et illic mutatum et machinula scriptoria exaratum *De evolutione historica conceptuum potestatis ordinis et iurisdictionis in primaeva canonistarum doctrina*, München 1962, inscribitur. Professor Mörsdorf, cum me ad hoc opus suscipiendum hortaretur, aperte fatebatur illud quidem difficillimum esse, sed simul et fructuosissimum, quod in Germania confici possit. Haec eius verba unusquisque annus laboris mei vera esse testabatur. Cum ad haec studia promovenda accessissem, statui ad exponendam decretistarum de distinctione principali potestatis in Ecclesia doctrinam non sufficere, si quis intra tales fines se contineret, quod decretistae imprimis interpretes doctrinae in auctoritatibus Decreti servatae necnon ipsius Gratiani doctrinae in eodem opere expositae existerent.

Sincero tamen veri indagatori semper propositum erit non solum ipsi explanationi decretistarum doctrinae incumbere, sed etiam in ea, quae explanata sunt et enucleata inquirere. Itaque praeter ipsam ut ita decretistarum doctrinae molem fundamenta eius etiam perscrutari incepti.

Primum tamen Gratiani doctrinam dilucidandam atque regulas et divisiones ad potestatem ecclesiasticam pertinentes et in auctoritatibus Decreti servatas investigavi, quibus Gratiani, diligentis sententiarum auctoritatum Decreti interpretis, doctrina de potestate ecclesiastica fundata est.

At materia in auctoritatibus Decreti contenta quamvis ingeniose eligebatur tamen et excerpebatur, quod novum aliquem scrupulum ingerit. Quaeritur enim, an materia haec a Gratiano suo consilio ducto hausta sit, an eam Magister nulli proposito favens deprompsit, qua congesta rectas demum conclusiones educeret.

Quod vero omina statuta et leges atque opera scriptorum antiquorum, quorum fragmenta Decreto continentur, pervestigare unius homini vires excedit, statui trium tantum praestantium auctorum opera penitus perscrutari, nempe Origenis, Tertulliani et Cypriani, fontes autem omnes in auctoritatibus Decreti allatos diligentissime perlegi et indagavi. Has investigationes nonnumquam dilatabam, ut meas conclusiones certiores redderem interdum vero graviore materia accuratiorem explanationem exigente.

Quod ut facerem, cum ipso originis religionis Christianae co-

gnoscendae et rationis, quae inter posteriorem doctrinam et illam intercedit, studio adductus sum, tum locupleta traditione, tum praeclaro atque excellenti ingenio scriptorum ecclesiasticorum et legislatorum variorum saeculorum illectus.

Quod ad methodum mei laboris attinet, non ab initiis, uti plerique solent, fontes ad illam aetatem spectantes repetebam, sed inde ab ultimis ad primos fontes pergebam. Huic tamen methodo obici non potest, quod plus aliis posterioris doctrinae dogmatibus favet et ea priorum temporum doctrinae insinuat eoque ipso nos ad falsas conclusiones impellit. Unusquisque enim vir doctus, quamlibet methodum sequatur, conclusiones ad aliam aetatem, scholam vel auctorem pertinentes in aliam aetatem, scholam vel auctorem transferre non debet. Itaque haud maius mihi periculum imminabat, quam iis, qui inde ab initio profecti fontes pervestigare studuerunt. In hoc me incepto adiuvabant etiam auctores et legislatores ad litteram veterem traditionem tenentes, quod hodie saepe non memoratur, quin immo minime animadvertitur vel a viris praestantissimo ingenio praeditis.

Ceterum viris doctis trita illa via incedentibus alia magna pericula impendent, ut exemplum afferam, consuetudo propria nomina, sententias et ideas fontibus imputandi, quae facile verum eorum sensum evertant. Ex quo efficitur, ut hi viri eruditi saepe antiquos textus false intellegant vel inscite eorum auctoribus rei ignorantiam adscribant, immo supponant eos aliam prorsus materiam tractare atque eam, quam revera tractent. Unde etiam non raro falsa illa opinio manavit tardiores fuisse progressum atque eum, qui fuisse existimaretur, priora autem saecula inferiora esse atque ea, quae affirmarentur fuisse. Quae omnia mendaces illae et a vero rei statu abhorrentes etiam vicesimi saeculi hypotheses effecerunt.

Similes errores cum in decretistarum temporibus tum in nostris occurrunt, quibus propria veterum textuum ignorantia eorum auctoribus imputatur. Itaque nobis persuasum est methodum nostram veritati enuncleandae minus officere posse quam alias adhuc a iuris canonici peritis usitatas. Veteres textus fontium explicantes potuimus quoque ante oculos habere veterem illorum explicationem quae iis textibus prior et correctior nostra existit. Praeterea methodus a nobis electa ipsa per se utilior evasit, cum illam adhibentes multos aliarum explicationum errores detexissemus, quos alii alias methodos secuti detegere non possent.

Ceteras operis nostri methodi notas alibi indicavimus, sed hic adhuc animadvertimus saepe nos diligentem significationum nomenclum et locorum analysin peregrisse, quod hodie iam in multis disciplinis bene in usum venisse constat.

Sed nemini certe notum est Gratianum fuisse, qui in solvendis

gravioribus quaestionibus hanc quidem methodum adhibuisse. Usque tamen ad hodiernum diem in iuris canonici scientia huiusmodi inquisitiones historicae ignorantur vel negliguntur, quo factum est, ut maximum damnum veritati pernoscendae illatum sit. In meis investigationibus persaepe illa analysi utebar et nullum mihi aliud post Gratiani opus usque ad nostra tempora conscriptum esse videtur, quo haec methodus tam saepe adhibeatur. Talem methodum secuti effecimus, ut multi errores in iuris canonici scientia iam diu obversantes eradicati sint.

Alius error in ratione scientifici laboris commissus, qui quoque usque ad hodiernum diem permansit, in nimium universalibus sententiis et facilioribus conclusionibus consistit, quae quamvis lectori quasi lautiorum alimoniam praestent, tamen satis omnibus persuasum est conclusiones et assertiones tum tantum alicuius momenti esse, cum diligenti analysi fundentur. Quae quidem laboriosae sunt et ad legendum difficiles. Magna igitur pars operis mei analysis est impleta, quibus paractis conclusiones educebam, quod quidem, ut dictum est, difficiliorem textum reddidit, sed ad novas easque saepe aliorum virorum doctorum placitis contrarias sententias adduxit. Quo fit, ut multae canonistarum theses iam amplius sustentari nequeant, immo multae res nunc in lucem prodeant.

Nostrarum indagatorum effectus non tantum scilicet unam alteramve falsam opinionem excutiunt, sed revera ipsas variorum institutorum ecclesiasticorum notiones permutant vel quidem principalia iuris canonici historiae dogmata abolent, itaque in doctrinam recepti porro a me elaborantur et ad ulteriorem progressum in hac scientia utilissimi apperere possunt. Praeter enim opera canonistica magni momenti, quae rationem formalem respiciunt, eae, quae exstant, dissertationes et notiones multorum institutorum ecclesiasticorum magna ex parte mendis laborant.

Adhibitis supra laudatis methodis et quindecim fere annis in labore assiduo consumptis quattuor volumina operis mei typis edenda paravi, quorum singula 500 paginas continent, quae una simul inscribuntur *De distinctione potestatis ordinis et iurisdictionis a primis Ecclesiae saeculis usque ad exeuntem decretistarum periodum peracta*: tomus primus: *De potestate ecclesiastica secundum Origenem, Tertullianum et Cyprianum*; tomus secundus: *De potestate ecclesiastica secundum Decreti auctoritates*; tomus tertius: *De potestate sacerdotali secundum Gratianum*; tomus quartus: *De potestate sacerdotali secundum decretistas*³.

³ Argumentum huius operis ita ut ipsum opus inscriptum publici iuris factum est in libro qui est *Ius Sacrum*, o.c., inde a pag. 165 ad 179, deinde in linguam italicam translatum in editione collectiva: Matthäus Kaiser — Eugen Fischer — Kazimierz Nasiłowski, *Potere di ordine e di giurisdizione: nuove prospettive nella dottrina del potere di*

Unumquodque volumen integrum est, simul ac uniuscuiusque proximum praecedentis conclusiones comprobat, quod varietate materiae respecta continuum ordinem doctrinae a Magisterio Ecclesiastico expositae et a viris doctis explanatae exhibet.

Primo volumine diligenti analysi peracta distinctionem potestatis ordinis et iurisdictionis iam primis Ecclesiae saeculis notam ostendimus. Praeterea illorum temporum notiones primatus ecclesiastici, imprimis primatus Romani Pontificis ut multo nostrorum temporum notionibus ditiores et cum distinctione illa coniunctas proposuimus et multas falsas opiniones adhuc obversantes excussimus.

Principalis vero conclusio nostrarum investigationum est primatum in Ecclesia absque dubio potestatem significare, immo in pristina dilatata primatus ecclesiastici structura numquam inveniri primatum, qui honoris tantum primatus exstaret, potestatis verae non item.

Volumine secundo omnes auctoritates in Gratiani Decreto contentas perspeximus. Multis analysibus et comparationibus peractis statuimus inde a primis Ecclesiae saeculis usque ad tempora Gratiani firmum duarum potestatum in Ecclesia existentium sensum, quas hodie nominibus potestatis ordinis et iurisdictionis vocamus.

Praecipuam curam in pervestigandis omnibus sanctionibus in auctoritatibus Decreti contentis adhibuimus. Multae illae comparationes et nostra methodus significationes nominum et locorum indagandi effecerunt, ut verum earundem sanctionum sensum agnosceremus et eas recte intellegendi munissemus viam. Saepe enim sanctiones legum in auctoritatibus Decreti contentae et hodie false intelleguntur, saepe quidem contrarius eis sensus imputatur. His inquisitionibus fundatum accuratum omnium sanctionum indicem seorsum edendum paramus. Quo adhibito etiam ignarus trio rectum earum sensum inveniet vel referet.

In tomo tertio de Gratiani doctrina tractavimus. Multis testimoniis collatis demonstravimus *executionis* nomine, quo distinctio potestatum potissimum fundabatur, Gratianum potestatem non sacramentalem denotasse, etsi in administrandis sacramentis appareret, quae a potestate sacramentali, quae *potestas sacramento tenus accepta* vocatur, aliena est.

Distinctio potestatum, quae hodie potestas ordinis et iurisdictionis vocantur, saepe a Gratiano citata multis auctoritatibus Gratiano antiquioribus nititur. Hoc quidem ostendimus perquisitis Magistri

giurisdizione, (Romae 1971), pag. 89—121: *Distinzione tra potestà d'Ordine e potestà di giurisdizione dai primi secoli della Chiesa sino alla fine del periodo dei decretisti.*

Quod argumentum in paucis locis tamen corrigendum est, non continet etiam gravissimos laboris mei effectus, quippe quod ante primum operis mei volumen conectum eiusque recensionem conscriptum sit.

comparationibus propriae ipsius doctrinae de potestatibus in Ecclesia existentibus cum illa Patrum, sanctarum synodorum et Romanorum Pontificum doctrina in eorum decretis contenta.

Quod vero ad universales conclusiones attinet, statuendum est Magistrum doctrinam de duabus potestatibus in Ecclesia existentibus minime promovisse, sed tantum notiones et regulas iam ab antiquis servatas ordinavisse.

Gratianus diligentissimus interpres fontium in Decreto citatorum exstitit eiusque ingenium iam vel horum fontium electio testatur, qui gravissimis quaestionibus abundant. Nemo etiam et hodie eum in inquisitionibus in significatione nominum et locorum perscrutanda consistentibus superavit. Qua methodo neglecta mox post confectionem Decreti interpretes auctoritatum. Decreto contentarum a vera doctrina deflexerunt. Has quaestiones dissolventes et originem erroris expositionis doctrinae Gratiani indicantes nunc primum in iurs canonici historia plenam et, uti nobis persuasum est, veram Gratiani doctrinae explanationem proposuimus, illa enim adhuc false exponebatur aut plane ignorabatur.

In volumine quarto per singula persecuti sumus doctrinam decretistarum, interpretum regularum, quae auctoritatibus Decreti et ipsius Gratiani doctrina continentur. Principalis potestatum distinctio, scilicet in potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, a decretistis servata est et quidem exemplis illustrata. Cum tamen Magistri doctrina false explicaretur, controversia de ratione, duratione vel extinctione et effectibus utriusque potestatis diu habebatur.

Aliis indagacionibus susceptis apparuit Gratianum, qui omnes Decreti auctoritates pervestigaret, suppetentem habuisse materiam, ut rectas educeret conclusiones, decretistas vero contractiore campo se tenuisse. Isti enim nonnullarum tantum auctoritatum explicationi incumbabant vel nonnullarum coniunctioni ceteris temere neglectis. Similiter singulas Magistri enuntiationes toto eius systemate minime respecto interpretabantur, quod eos in summos errores induxit.

In exponenda Gratiani doctrina, ergo etiam in explicandis auctoritatum Decreti regulis maxime Rufinus peccavit. Sed iam discipuli et successores Rufini, ut Stephanus Tornacensis, ad doctrinam Gratiani medendam accesserunt. Haec doctrinae Magistri sanatio porro ab aliis decretistis promovebatur, sed revera nunquam ad finem perducta est. Adhuc enim Huguccio iniuste compellat Gratianum Magistro adscribens errores, quos ille nunquam commisit. Quod tamen non ipsius Magistri ignorantia effecit, sed parum accurate ab Huguccione cognita Gratiani doctrina.

Tempore decretalistarum, qui auctoritates in collectionibus decre-

talium Romanorum Pontificum commentabantur, auctoritates Decreti et Gratiani doctrina iam rarius tractabantur, deinde novis quaestionibus affluentibus, quae dissolverentur, accuratius desitae sunt disputari. Ut supra dictum est, plena auctoritatum Decreti et doctrinae Gratiani explicationis emendatio numquam ad finem perducta est. Quin immo, falsa Magistri doctrinae expositio vel errores ignorantia commissi tempore decretistarum confirmata in posteriorum temporum doctrinam irrepserunt, ubi ad nostra tempora immutata fere persistunt. Et nunc primum in iuris canonici historia vera huius processus descriptione gaudemus eoque ipso plenae doctrinae Gratiani restitutionis nobis honor contigit.

Non est dubium, quin quaestio potestatis ecclesiasticae eo admodum valeat, quod vix ullus in iure canonico campus inveniatur, quo illa minoris momenti esse videatur. Problemata ad potestatem pertinentia non solum eius notionem, characterem, originem, distinctionem, rationem regendi, persistendi vel extinguendi respiciunt. Multa enim adhuc ad vitam Ecclesiae redundant, nempe ad singula membra Ecclesiae, ad doctrinam de sacramentis et ad eorum administrationem. Multa quoque similia problemata in instituto ordinationis relativae et absolutae, alia in aliis disciplinis ecclesiasticis conspici possunt, immo eas excedunt, facile enim in rationibus iuris canonici cum iure romano perspiciuntur et ad dilucidandas aliquas significationes nominum in eo adhibitorum plurimum conferunt, exempli gratia in explicanda significatione nominis *executionis*, in qua dubitabatur, potestatemne denotet an actionem. Pertinent etiam ad alia instituta ecclesiastica hodie haud recte intellecta, ut exemplum afferam, ad reordinationis notionem.

Itaque opus nostrum fontibus fundatum, quo quaestiones distinctionis potestatis ecclesiasticae in potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis tractantur, non solum ad historicos iuris canonici vel canonistas pertinebit, sed et ad alios theologos, immo et ad iuris romani et historiae antiquae peritos. Praeterea antiquorum auctorum demonstrandi modus, quem fusius exposuimus, abundantem materiam methodi scientificae indagatoribus ad comparandum praebet. Methodus vero significationes nominum et locorum pervestigandi a nobis proposita tum aliis viris eruditissimis esse potest, cum sanctionum legis ecclesiasticae peritis firimum fundamentum esse, hanc enim methodum secuti regulas eas sanctiones recte exponendi proposuimus, hae enim saepe aliter explicandae sunt atque explicari solebant.

Minime ignoramus ea, quae Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae et doctrinae ecclesiasticae maximo emolumento esse possint et in quibus pervestigandis magnam partem aetatis nostrae detrivimus, primo et secundo operis nostri volumine contineri. Cum tamen secunda pars operis nostri machinula scriptoria exarata et postea

mutata a nonnullis false citata esset⁴, statuimus graviora fragmenta tertii et quarti voluminis publici iuris facere, ut errores et ambiguitates vitarentur.

Speramus tamen proposito hic nostri operis argumento fore, ut inveniatur editorum societas, quae totius operis editionem curet simul et hortetur nos ad conficiendum aliud opus magna fontium copia fundatum, quod paramus et quo singula potestatis ecclesiasticae problemata exposituri sumus, priori illi minime gravitate cedens.

Ceterum speramus totum opus publici iuris factum Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae et doctrinae universae profecto magnae utilitati futurum, Concilium enim Vaticanum II quaestiones potestatis ecclesiasticae nondum solvisse. Nostris enim libris multorum problematum aut iam rectae solutiones dantur, aut praecepta solvendi ea cum antiqua traditione congruentia et nostrorum temporum necessitatibus consulentia. Ex indagationibus nostris argumenta etiam depromuntur, quibus multae falsae opiniones excutiuntur, quae proprium potius auctorum sensum redolent, quam veram antiquorum doctrinam fontibus iuris contentam.

Nostris igitur multorum annorum labores eorum fructibus perspectis et iam ostensis singularis momenti sunt et sane gravissimi, quippe qui et renovationi a Concilio Vaticano II inchoatae respondeant et iuri canonico denuo condendo inserviant.

TOMUS TERTIUS

DE POTESTATE SACERDOTALI SECUNDUM GRATIANUM

*Piae memoriae
Patris mei
Alexandri Nasiłowski
sacrum*

Enuntiationes Gratiani de potestate sacerdotali multae sunt. Earum tamen omnium expositio Magistri distinctionem eiusdem potestatis continens in dicto p. c. 97 C. I q. 1 relatam maximi momenti est. Aliae enim Gratiani de potestate sacerdotali enuntiationes in expositione praefato dicto data aut fundantur, aut eiusdem testate, illa scilicet ab Augustino et illa a Gratiano pertractata, expositionis explicationem constituunt.

⁴ Vide e.g. Stickler, Die Zweigliedrigkeit der Kirchengewalt, o.c. pag. 205.

Quam ob rem quaestio de potestate nobis examinanda necessario ab expositione Gratiani in dicto p. c. 97 C. I q. 1 data inchoanda est. Quia autem praefata expositio opinioni Augustini de potestate in C. I q. 1 c. 97 relatae arcte cohaeret, et in aliquibus cum ea concordat, in aliquibus vero ab ea differt, utraque quaestio de potestate, illa scilicet ab Augustino et illa a Gratiano pertractata, simul examinanda est.

Quia denique utriusque viri docti de potestate expositio in quaestione nobis examinanda maximi momenti est, et quia in cuncta hac quaestione saepe ad eam recurrendum erit, integrum textum sive Augustini in C. I q. 1 c. 97 sive Gratiani in dicto p. c. 97 C. I q. 1 relatum in ipso questionis examinandae principio proponendum esse statuimus.

1. Textus auctoritatis Augustini in C. I q. 1 c. 97
relatae:

„Quod quidam dicunt, baptisma, quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici.

- § 1. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud, cum baptizatur, illud, cum ordinatur; ideo non licet a catholico utrumque iterari.
- § 2. Nam si quando ex ipsa parte uenientes etiam prepositi pro bono pacis, correcto scismatis errore, suscepti sunt, etsi uisum est opus esse, ut eadem officia gererent, que agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in precisione fuerat uicium (quod unitate pacis est correctum), non in sacramentis, que ubicumque sunt ipsa sunt. Et cum ipsi expedire uidetur ecclesiae, ut prepositi eorum, uenientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis manus inponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria.
- § 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est; utrumque ad perniciem suam, quamdiu karitatem non habent unitatis; sed tamen aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere. Quicquid non habetur dandum est, cum opus est dari, quod uero perniciose habetur, per correctionem depulsa perniciem agendum est, ut salubriter habeatur. Quod si laicus, alicui pereunti necessitate compulsus baptisma dederit, quod, cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidit, nescio, an quisquam dixerit pie esse repetendum. Nulla enim necessitate

cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut ueniale delictum est. Sed si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamuis recte dici possit illicite datum. Illiciti ergo usurpationem corrigit reminiscen-
tis et penitentis affectus. Quod si non correxit, manebit ad penam usurpatoris quod datum est, uel eius, qui illicite dedit, uel eius, qui illicite accepit: non tamen pro non dato habebitur.

- § 4. Si enim aliqui furtim et extraordinarie, non in monetis publicis, aurum uel argentum percutiendo signauerint, cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis uel indulgentia liberatis cognitum regale signum thesauris regalibus cogeretur.
- § 5. Si forte militiae characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam inperatoris confugerit, et inpetrata uenia militare iam ceperit, numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus habent sacramenta Christi quam corporalis hec nota, cum uideamus, nec apostatas carere baptismo, quibus utique per penitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse iudicatur?
- § 6. De his, qui ab ecclesiae catholicae unitate separati sunt, nulla iam questio est, quin habeant, et dare possint, sed perniciose habeant, pernicioseque tradant, quia extra uinculum pacis sunt.
- § 7. Neutri sacramento iniuria facienda est.
- § 8. Sicut non recte habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur, sic etiam non recte dat qui ab unitate discedit, sed dat tamen, et ideo quod ab eo accepit uenienti ad unitatem non iteratur.
- § 9. Sicut redeunti non redditur quod et foris habebat, sic uenienti repetendum non est quod foris acceperat. Unde consequenter intelligitur peruersitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse uiolandam. Constat enim, eam in peruersis hominibus et sceleratis, siue in eis, qui intus sunt, siue in eis, qui foris, inpollutam atque inuiolabilem permanere, et quod dicuntur eam mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa inpolluta permaneant; sed in bonis permanent ad premium, in malis permanent ad iudicium.
- § 10. Quomodo catholici non clarificant Dominum, qui sacramenta eius tam debita ueneratione prosequuntur, ut, etiam si ab indignis tractata fuerint, illis sua peruersitate dampnatis, illa intemerata sanctitate permanere demonstrantur?"

2. Dictum Gratiani p. c. 97 C. I q. 1:

„Ex his uerbis Augustini constat, in omnibus tam apostatis quam hereticis uel dampnatis permanere Christi sacramenta uera, quantum ad se, et sancta, et nisi penitentia uel indulgentia subuentum fuerit, ad damnationem usurpatoris peruenient, uel habentis, uel dantis, uel accipientis. Quid ergo prodest, quod uera et sancta sunt, cum usurpatores suos eque perimant, ac si essent mala et noxia? Crassus aurum sitiuit, aurum bibit; eque periit euro auro, sicut uero ueneno.

- § 1. Item aurum eque uerum est in arca furis, sicut in thesauris regis. Sed a fure, quia illicite habetur, illicite datur uel accipitur; a rege autem licite habetur, datur et accipitur; ideo ipse fur et communicator furti (nisi forte de conscientia furti se purgauerit), ut perhibet Gelasius ad Anastasium imperatorem, uterque iuste et digne dampnabitur.
- § 2. Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae) unctionis assumunt. Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquitur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit.
- § 3. Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis. Qui intra unitatem catholicae ecclesiae constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, offitium et executionem sui offitii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suae potestatis penitus priuantur, sicut coniugati ab inuicem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni.
- § 4. De his ergo, qui accepta sacerdotali potestate ab unitate catholicae ecclesiae recedunt, loquitur Augustinus, non de illis, qui in scismate uel heresi positi sacerdotalem unctionem accipiunt; alioquin esset contrarius Calcedonensi concilio, in quo

ordinati a symoniacis in nullo proficere iudicantur, et Innocentio, qui ordinatos a ceteris hereticis per prauam manus inpositionem solam dampnationem et uulnus capitis assecutos testatur.

- § 5. Quamuis possit generaliter dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse quantum ad se, falsa uero et inania quantum ad effectum, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur. Nec mirum, ipsa enim salus nostra bucellam Iudae dedit; statim cum bucella non bonus, sed malignus spiritus intrauit: quare? non quia bonus non daret bonum, sed quia malus male accepit bonum; sicque bonum effectum bonum non habuit, quia ubi illud faceret non inuenit.
- § 6. Item Dominus in patria sua presens et uerus affuit; non per malum ministrum, sed per semet ipsum nichil potuit, quia fidem non inuenit; pro perfidia aliorum non caruit sua ueritate, sed effectus boni uirtute.
- § 7. Quod ut plane in omnibus sacramentis ostenderet, bis est transfiguratus, cum esset in carne. In una transfiguratione sicut sol aparuit mirabilis, ut fides credentium augetur ad contemplandam celestem gloriam super se eleuatam. In altera ut peregrinus et incognoscibilis de se dubitantibus ire se longius finxit, et, ne agnosceretur, eorum oculos tenuit: an quid aliud, nisi ut, quia per fidem non erat in cordibus eorum, longius se ab iis recedere ostenderet, et quia ipsum non credebant esse quod erat; uiderent etiam eum alium quam erat? Ecce in utraque uisione sua erat praesentia et ueritas; sed in una exercebatur fides, ut magis crederent quam credebant, in altera tenebatur incredulitas, ne etiam agnoscerent quod uidebant. Sacramentum ergo corporis et sanguinis sui aliis est ad salutem, aliis ad iudicium. Fides etiam, quamuis sit uera, tamen sine operibus mortua est. Sic et omnes decem uirgines equaliter erant uirgines, sed ex his erant quinque fatuae et quinque prudentes. Equa erat uirginitatis ueritas, sed pro eiusdem uirginitatis intentione non omnibus equa meriti identitas. Sic etiam est es sonans aut cymbalum tinniens martirium uel elemosina, quam nescit karitas. Si uero cecus ceco lucernae ministret ueritatem, neuter tamen ideo magis suam illuminat cetitatem. Sic et malus ministrat malo uera sacramenta, sed non ideo dona spiritualia, quia malis eorum meritis Spiritus sanctus impeditur, ne in eis quod suum est operetur. Unde Innocentius, cum hereticorum baptisma concedat esse ratum, non tamen ex illo baptismo concedit haberi Spiritum sanctum. Et Leo hos, qui formam baptismatis acceperunt, non sinit rebaptizari, sed iubet Spiritum sanctum, quem

ab hereticis nemo accipit, per eius inuocationem et manus inpositionem a catholicis sacerdotibus consequi. Sciendum uero est, quod sacramenta hereticorum dicuntur irrita, uel etiam dampnanda, falsa et inania, non quantum ad se, cum sint sancta et uera etiam ab heretico celebrata, sed quia, cum illicitate dantibus perfidis sint ad iudicium, illicitate ab eis accipientibus non conferunt Spiritum sanctum. Irrita et non uera dicuntur, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt, et ideo dampnanda, ut ea dari uel recipi ab hereticis non approbetur sed interdicator. Non enim quantum ad se polluta sunt, quamuis ab hereticis pollui dicantur. Unde Gregorius communionem Arii uocat execrationem, et Innocentius uocat Bonosi ordinationem dampnationem, non quod ita in se sint, sed quia male dantibus uel accipientibus id efficiunt. Sic etiam Ieronimus in Osee sacrificia eorum panem luctus uocat non quantum ad se, sed quantum ad effectum, quod ipsemet ostendit, subiungens: „Quicumque comederint ex eo, contaminabuntur, quia sibi ad iudicium sument.’”

TITULUS PRIMUS DE DISTINCTIONE POTESTATIS

CAPUT PRIMUM

De oppositione Gratiani contra opinionem Augustini in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata

I. De introductione oppositionis

Postquam Gratianus in principio et in § 1 dicti p. c. 97 C. I q. 1 sententiam Augustini de valore sacramentorum ab haereticis collatorum rettulit, oppositionem contra hanc sententiam adducit.

Sententia autem Augustini ita a Gratiano refertur: „Ex his uerbis Augustini constat, in omnibus tam apostatis quam hereticis uel dampnatis permanere Christi sacramenta uera, quantum ad se, et sancta, et nisi penitentia uel indulgentia subuentum fuerit, ad dampnationem usurpatoris peruenerint, uel habentis, uel accipientis. Quid ergo prodest, quod uera et sancta sunt, cum usurpatores suos eque perimant, ac si essent mala et noxia? Crassus aurum sitiuit, aurum bibit; eque perit uero auro, sicut uero ueneno. § 1. Item aurum eque uerum est in arca furis, sicut in thesauris regis. Sed a fure, quia illicitate habetur, illicitate datur uel accipitur; a rege autem licite habetur, datur et accipitur; ideo fur et communicator furti (nisi forte de conscientia furti se purgauerit),

ut perhibet Gelasius ad Anastasium inperatorem, uterque iuste et digne dampnabitur."

Contra vero hanc Augustini sententiam in § 2 eiusdem dicti ita legimus: „Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae) unctionis assumunt. Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit."

II. De caractere quaestionis oppositionem

Gratiani continentis

In recta examinatione huius oppositionis contra opinionem Augustini a Gratiano allatae character ipsius quaestionis, in qua Magister cum Doctore illo Ecclesiae se dissentire dicit, praetermittendus non est.

Auctoritas Augustini in C. I q. 1 c. 97 relata in quaestionem de effectu sacramenti ordinis ut una ex duabus obiectionibus thesi Gratiani de sacramento ordinis per haereticos ministrato eoque effectu carenti introducta est.

In dicto enim p. c. 96 C. I q. 1, ergo immediate ante praefatam auctoritatem Augustini, contra eandem thesim Magistri alia quoque obiectio ponitur, scilicet: „Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectu, improbatur auctoritate Anastasii Papae..."¹ Obiectio haec a Gratiano refutatur in eodem dicto ita scribenti: „Sed hoc eum (Anastasium; KN) illicitè et non canonice, imo contra decreta suorum predecessorum et successorum fecisse, probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicauerunt, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acacium dampnauit. Unde etiam ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo fuisse percussus legitur in gestis Romanorum Pontificum (cf. D. XIX c. 9). hoc modo: „Anastasius secundus natione Romanus, etc.'"

¹ Gratianus auctoritatem Anastasii Papae hic provocatam in D. XIX c. 8 refert.

Deinde eidem thesi de sacramento ordinis per haereticos ministrato effectu carenti Magister ex praefata auctoritate Augustini in C. I q. 1 c. 97 relata obicit, ut patet ex inscriptione huius capituli: „Item obicitur illud Augustini ad Parmenianum de hereticis etiam dampnatis.”

Ut ex his patet, non est dubium, quin etiam quaestio in dicto p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano pertractata circa effectum sacramenti ordinis versetur, et in hoc fundamento problema de potestate examinetur.

Charactere quaestionis demonstrato, in qua inter utrumque virum doctum oppositio refertur, personae quoque indicandae sunt, de quibus in praefata quaestione sermo est.

III. De personis auctoritate in C. I q. 1 c. 97 relata et dicto Gratiani post hanc auctoritatem comprehensis

In auctoritate C. I q. 1 c. 97 contenta Augustinus de sacramentorum ministris *indignis, malis, perversis, et sceleratis, sive intus sive foris sint*, de eis etiam, *qui ab Ecclesia recedunt, de apostatis, de schismaticis, de separatis ab unitate Ecclesiae catholicae, de discedentibus ab unitate, et de damnatis* disserit.

Gratianus autem in dicto post memoratam auctoritatem non solum de *malis, apostatis, et damnatis*, verum etiam de *haereticis, suspensis, degradedis, et depositis* sacerdotibus expresse loquitur.

In principio dicti p. c. 97 C. I q. 1 Gratianus scribens: „Ex his uerbis Augustini constat, in omnibus *tam apostatis quam hereticis uel dampnatis* permanere Christi sacramenta uera, quantum ad se...” in praefata auctoritate Augustinum etiam de his haereticis loqui intelligit, qui numquam catholici fuerunt.

Horum omnium ratione habita solutionem quaestionis de effectu sacramentorum in dicto p. c. 97 C. I q. 1 allatam omnes sacramentorum ministros indignos respicere concludendum est, i. e. apostatas, schismaticos, haereticos, malos catholicos, suspensos, degradatos, depositos, et damnatos, ad quos ultimos, congruenter cum terminologia auctoritatum Decreti, etiam excommunicati adnumerandi sunt.

Sed in oppositione Gratiani contra opinionem Augustini recte examinanda ratio quoque finis ab utroque auctore in sua expositione intenti habenda est.

IV. De fine ab Augustino et Gratiano in eorum expositione intento

Sententia Augustini in principio dicti p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano relata: „Ex his uerbis Augustini constat, in omnibus *tam apostatis quam hereticis uel dampnatis* permanere Christi sacra-

menta uera, quantum ad se, et sancta, et nisi penitentia uel indulgentia subuentum fuerit, ad dampnationem usurpatoris peruenient, uel habentis, uel dantis, uel accipientis" exemplo de auro et de fure etiam ex Augustino desumpto in principio dicti p. c. 97 C. I q. 1 ita a Magistro illustratur: „Quid prodest, quod uera et sancta sunt (sacramenta; KN), cum usurpatores suos eque perimant, ac si essent mala et noxia? Crassus aurum sitiuit, aurum bibit; eque periit uero auro, sicut uero ueneno. § 1. Item aurum eque uerum est in arca furis, sicut in thesauris regis. Sed a fure, quia illicite habetur, illicite datur, uel accipitur; a rege autem licite habetur, datur et accipitur; ideo ipse fur et communicator furti (nisi forte de conscientia furti se purgauerit), ut perhibet Gelasius ad Anastasium inperatorem, uterque iuste et digne dampnabitur."

Ut patet, opinio Augustini sacramenta ab haereticis celebrata ratione sui uera, et tantum illicita esse probantis a Gratiano non mutatur. In quaestione tamen de sacramentis examinanda diuersus finis ab Augustino, diuersus uero a Gratiano intentus facile perspici potest.

Finis enim ab Augustino intentus ex uerbis C. I q. 1 c. 97 satis patet: „Quod quidam dicunt, baptisma, quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici. § 1. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud cum baptizatur, illud, cum ordinatur; ideo non licet a catholico utrumque iterari."

Augustinus igitur imprimis validitatis sacramentorum ab haereticis collatorum et potestatis sacramentalis non amittendae ratione habita de sacramentis disserit, quamuis ipsa rei natura exigenti etiam de administratione horum sacramentorum illicita loquatur.

Finis autem expositionis Gratiani principio de sacramentis ab haereticis celebratis ratione sui validis cum Augustino admissio examinatio quaestionis de effectu eorundem sacramentorum est, ut sive ex introductione huius quaestionis in dicto p. c. 96 C. I q. 1, de quo paulo supra sermo erat, sive ex cuncto dicto p. c. 97 C. I q. 1 patet.

Demonstrato caractere quaestionis, in qua Gratianus Augustino repugnat, enumeratis quoque personis, quas praefata oppositio respicit, atque fine indicato ab utroque viro docto in sua expositione intento ipsum obiectum et ratio oppositae utriusque uiri docti sententiae generali modo consideranda est.

V. De oppositionis obiecto in genere

Oppositio Gratiani contra sententiam Augustini in C. I q. 1 c. 97 relatam diversa ab ea opinione consistit in dicto post hanc auctoritatem a Magistro exposita. Sed sive in prima sive in secunda opinione opposita non tantum unica, sed plures assertiones afferuntur. Obiectum autem oppositionis tantum aliquae utriusque viri docti assertiones constituunt, non vero omnes sibi oppositae sunt, cum aliquibus enim assertionibus Augustini Gratianus concordat, aliquibus vero repugnat.

Ut igitur obiectum oppositionis inter utriusque viri docti opinionem consistentis recte assignari possit, imprimis principaliores utriusque opinionis assertiones singulae indicandae sunt, deinde, utrum omnes, an tantum aliquae Magistri affirmationes sententiam atque persuasionem eiusdem propriam manifestent, examinandum est, denique, in quibus assertionibus uterque vir doctus concordet, in quibus vero differat, indicandum est, necnon ipse huius differentiae modus et ratio demonstranda est.

A. De opinionibus Augustini et Gratiani concordantibus

1. Enuntiationes Augustini

Ad opinionem Augustini in C. I q. 1 c. 97 relatam quod attinet, principia ponuntur haec:

Neque baptismus, neque ordo, neque potestas sive baptismi dandi sive ordinum conferendorum recedentibus ab Ecclesia amittitur: „Quod quidam dicunt, baptismus, quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici. § 1. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud cum baptizatur, illud, cum ordinatur; ideo non licet a catholico utrumque iterari... § 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est...”

Ut patet, Augustinus sacramentalem ordinis potestatem inamissibilem esse agnoscit.

Praeter sacramentalem ordinis potestatem potestas quoque non sacramentalis eaque amissibilis ab Augustino agnoscitur, qui in § 2 eiusdem auctoritatis sic prosequitur:

„Nam si quando ex ipsa parte uenientes etiam prepositi pro bono pacis, correcto scismatis errore, suscepit sunt, etsi uisum est opus esse, ut eadem officia gererent, que agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita et ordinatio mansit integra, quia in precisione fuerat uicium (quod unitate pacis est correctum),

non in sacramentis, que ubicumque sunt ipsa sunt. Et cum ipsi expedire uideatur ecclesiae, ut prepositi eorum, uenientes ad catholicum societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis manus inponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria."

Secundum igitur Augustinum sacerdotes ex haeresi ad Ecclesiam redeuntes, licet sacramentalem ordinis potestatem habeant, officia tamen sacerdotalia nonnisi ex permissione Ecclesiae exsequi possunt. Dubium autem non est, quin permissio haec ut in ipso permittente, sic in permissionem accipiente potestas quaedam sit, et quidem non sacramentalis, nam ille eam recipi intelligitur, qui potestate sacramentali iam pollet.

Augustinus tamen non solum de validitate sacramentorum baptismi et ordinis ab haereticis collatorum, verum etiam de licita et illicita horum sacramentorum administratione loquitur:

„§ 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est; utrumque ad perniciem suam, quamdiu karitatem non habent unitatis; sed tamen aliud est non habere, aliud perciosose habere, aliud salubriter habere. Quicquid non habetur dandum est, cum opus est dari, quod uero perciosose habetur, per correctionem depulsa perniciem agendum est, ut salubriter habeatur. Quod si laicus alicui pereunti necessitate compulsus baptisma dederit... an quisquam dixerit pie esse rependum. Nulla necessitate cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut ueniale delictum est. Sed si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamuis recte dici possit illicite datum. Illiciti ergo usurpationem corrigit remniscentis et penitentis affectus. Quod si non correxit, manebit ad penam usurpatoris quod datum est, uel eius, qui illicite dedit, uel eius, qui illicite accepit: non tamen pro no dato habebitur. § 4. Si enim aliqui furtim et extraordinarie, non in monetis publicis, aurum uel argentum percutiendo signauerint, cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis uel indulgentia liberatis cognitum regale signum thesauris regalibus cogereur? § 5. Si forte militiae caracterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam inperatoris confugerit, et inpetrata uenia militare iam ceperit, numquid homine liberato atque correcto caracter ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? ... § 9. Unde consequenter intelligitur peruersitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse uiolandam. Constat enim, eam in peruersis hominibus et sceleratis, siue in eis, qui intus sunt, siue in eis, qui foris, inpollutam atque inuiolabilem permanere, et quod dicuntur eam mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa inpollu-

ta permaneant; sed in bonis permanent ad premium, in malis permanent ad iudicium."

2. Enuntiationes Gratiani

Cum opinione Augustini hae Gratiani enuntiationes concordant: Ut Augustinus, sic Gratianus sacramenta ab haereticis vel ab aliis quibusvis sacerdotibus indignis in forma Ecclesiae celebrata ratione sui valida esse, sed, nisi poenitentia vel indulgentia subveniatur, usurpatoribus suis non prodesse tenet:

„Es his uerbis Augustini constat, in omnibus tam apostatis quam hereticis uel dampnatis permanere Christi sacramenta uera, quantum ad se, et sancta, et nisi poenitentia uel indulgentia subuentum fuerit, ad dampnationem usurpatoris peruenient uel habentis, uel dantis, uel accipientis. Quid ergo prodest, quod uera et sancta sunt, cum usurpatores suos eque perimant, ac si essent mala et noxia? Crassus aurum sitiuit, aurum bibit; eque periit uero auro, sicut uero ueneno."

Ut dictum est, administratio sacramentorum illicita et ab Augustino, et a Gratiano furis exemplo illustratur:

„Item aurum eque uerum est in arca furis, sicut in thesauris regis. Sed a fure, quia illicite habetur, illicite datur uel accipitur: a rege autem licite habetur, datur et accipitur; ideo ipse fur et communicator furti (nisi forte de conscientia furti se purgauerit), ut perhibet Gelasius ad Anastasium imperatorem, uterque iuste et digne dampnabitur."

Ex sententia Augustini de sacramentis ab haereticis valide, sed tantum illicite celebratis in principio dicti p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano repetita, atque eodem ut a Doctore illo Ecclesiae exemplo auri et furis illustrata, necnon ex eo, quod Magister praefatam Augustini auctoritatem in quaestionem de sacramento ordinis per haereticos ministrato eoque effectu carenti, ergo in quaestionem potestatem sacramentalem haereticis habitam nullatenus in dubium revocantem introduxerit, eandem esse ut Augustini, sic Gratiani de administratione sacramentorum ab haereticis confectorum vel collatorum valida, sed tantum illicita, atque de sacramentali ordinis potestate neque extra Ecclesiam amittenda sententiam concludendum est.

Immo in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 Gratianus de potestate sacramentali sacerdotibus ab Ecclesia recedentibus retenta expresse affirmat ita scribens: „Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent..."

Cum opinione Augustini de sacramentis haereticorum supra relata etiam hae enuntiationes Gratiani concordant ex oppositione in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adducta desumptae: „Sacramentum...

baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae) unctionis assumunt... Degradatus... episcopus... facultatem baptizandi... non amisit."

B. De opinionibus Augustini et Gratiani discordantibus

Quod attinet autem ad alias enuntiationes in dicto p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano allatas, aliquas ex eis cum Augustini opinione discordare animadvertendum est.

Etenim quod attinet ad ipsum argumentandi modum, Augustinus ex similitudine baptismi et ordinis neque baptismum, neque ordinem, neque potestatem haec sacramenta conferendi amitti posse concludit.

Gratianus autem Augustino ex similitudine baptismi et ordinis argumentanti, et ex potestate baptizandi de potestate ordines conferendi concludenti inconsequentiam obiciens in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 ita scribit:

„Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae) unctionis assumunt. Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquitur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit."

Gratianus igitur in hoc fragmento inter sacramenta ratione potestatis ea administrandi distinguit. Distinctio igitur haec simili modo sacramenta ipsa et potestatem ea administrandi respicit.

Distinctio autem sacramentorum non semel a Magistro ponitur, ut in dicto p. c. 39 C. I q. 1, ubi vir ille doctus sacramenta alia necessitas, alia vero dignitatis esse asserit, deinde in dicto p. c. 43 C. I q. 1, ubi characterem sacerdotii ab aliis sacramentis diversum describit.

Sacramentorum autem distinctionem, de qua in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano adducta sermo est, opinionem Magistri propriam repraesentare ex secunda parte dicti p. c. 39 C. I q. 1 patet, ubi similis sacramentorum distinctio

modo ipsius Gratiani sententiam denotanti introducitur, scilicet verbis: „Sed notandum est...” Quia autem praefata sacramentorum distinctio eorundem sacramentorum distinctio in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adductae similis est, sequitur, ut huic quoque distinctio ipse Magister assentiat.

Ut dictum est, differentia inter Augustini et Gratiani sententiam non solum ratione diversi sacramentorum characteris, verum etiam ratione diversae potestatis ad varia sacramenta administranda necessariae a Magistro disceptatur.

Praeterea differentia inter opinionem Augustini et Gratiani in § 5 dicti p. c. 97 C. I q. 1 ita annotatur: „Quamvis possit generaliter dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse quantum ad se, falsa uero et inania quantum ad effectum, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur.”

Ut ex hoc patet, differentia inter utrumque virum doctum potissimum in diverso modo opinionem formandi consistit. Secundum enim Gratianum Augustinus generali modo opinionem suam proposuit, cui opinio Magistri speciali modo formata opponitur.

Partialis tantum et non adaequata inter utrumque virum doctum differentia etiam enuntiatione Gratiani in § 3 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allata probatur: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus...”

VI. De Gratiano assertionum opinioni Augustini oppositarum auctore

Ut dictum est, assertiones de baptismo a laicis catholicis vel paganis collato in Ecclesia non iterando, similiter de ordinato a laicis catholicis vel paganis inter sacerdotes non habendo, item de potestate baptizandi sacerdote degradato non amissa, cuncta opinione Magistri de sacramentis diligenter pensata ut eius certa sententia atque persuasio recte reputari possunt.

Enuntiationes tamen in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 contentae: „Suspendo enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi...”, et: „Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...”, quia Augustino a Gratiano oppositae sunt, cum sententia Doctoris illius Ecclesiae discordare videntur.

Augustinus enim ex similitudine sacramenti baptismi et ordinis concludens ius ordines conferendi eodem modo ac ius baptizandi, quia utrumque sacramentum est, amitti non posse affirmat. Gratianus vero ex diversitate eorundem sacramentorum concludens episcopum degradatum facultatem quidem baptizandi retinere, potestatem tamen ordines sacros conferendi non habere asserit.

Quaestio igitur est, an assertiones istae ut sententiae Magistri propriae eidem adscribi possint, et, si ita sit, quam significatio-
ne. Utraque enim praefata assertio de potestate sacramentali amit-
tenda intelligi possit, ut ex eo patet, quod suspenso, degradato vel
deposito sacerdoti nulla prorsus potestas Eucharistiam consecrandi
vel ordines conferendi relicta esse dicitur.

Ad quam quaestionem solvendam imprimis character ipsius oppo-
sitionis in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 contra opinionem Augustini
a Gratiano allatae examinandus est. Ut autem de hac oppositione
Magistri recta opinio formari possit, quaedam de ipso modo oppo-
sitiones vel obiectiones ponendi a Gratiano adhibito praemittenda
sunt.

A. De Gratiani opponendi modo

Magister in argumentando obiectionibus vel oppositionibus saepe
utilitur, et opiniones in eis allatas suas non facit. Et sic in dicto
p. c. 18 C. I q. 1 Gratianus verbis „Sed obicitur” obiectionem ponit,
sed eius argumento non consentit, verbis „His ita respondetur”
sententiam propriam ab opinione in obiectione adducta alienam in
eodem dicto proponens.²

Similiter in § 1 dicti p. c. 22 C. I q. 1 Magister verbis „Item
opponitur” obiectionem adducit, cui tamen non consentit, ad quam
in fine eiusdem dicti verbis: „Sed de prophetia B. Ieronimus... com-
petenter soluit...” respondent.³

Simili modo in dicto p. c. 24 (palea est) C. I q. 1 obiectioni
a verbis incipienti „Item obicitur” Magister in fine eiusdem dicti
verbis: „Sed nichil horum symoniacis patrocinator”⁴ respondet

² Dictum Gratiani p. c. 18 C. I q. 1: „Sed obicitur: Alii heretici a fide exorbitant, symoniaci autem, etsi gratiam Spiritus sancti uenalem putant, tamen a fide non sunt alieni, atque ideo, quod ab Innocentio de ceteris hereticis decernitur, non ualet consequenter de illis intelligi. His ita respondetur: Symoniaci, etsi fidem tenere uideantur, infidelitatis tamen perditioni subiciuntur.”

³ Dictum Gratiani p. c. 22 C. I q. 1: „§ 1. Item opponitur, quod prophetia donum Spiritus sancti est, hec autem in ueteri testamento a sanctis prophetis uendi consueuerat. Unde Saul ad Samuelem pro uaticinio expetendo non nisi cum munere ire presumpsit... Item Christus a Iuda uenditus auriculam serui sanauit. Exemplo itaque Saulis... patet, quod donum Spiritus sancti emere uel uendere non est peccatum. Exemplo Christi liquet, quod Spiritus sanctus, etsi iniuste a symoniacis uenalis putetur, uirtutis tamen suae non obliuiscitur, nec desinit effectum suae gratiae etiam uenditus prestare. Sed de prophetia B. Ieronimus in (c. 3) Michea competenter soluit, malos tantum accepisse, non bonos denunciatis.”

⁴ Dictum Gratiani p. c. 24 (palea) C. I q. 1: „§ 1. Item obicitur, quod etsi malum sit ecclesiastica emere, tamen sepe sinistra principia ad felices perueniunt exitus. Ut Iacob per subplantationem peruenit ad benedictionem, ut seges, que leprosa manu seritur, munda

probationem huius responsi in inscriptione c. 25 C. I q. 1 verbis: „Ait enim Leo...” indicans.

In § 1 dicti p. c. 29 C. I q. 1 verbis: „Sed obicitur” obiectionem ponitur⁵, cui Gratianus in secunda parte dicti p. c. 39 eiusdem Causae et Quaestionis a verbis incipiens: „Sed notandum est...” ope distinctionis respondet.⁶

In inscriptione c. 48 C. I q. 1 Gratianus verbis: „Sed idem Augustinus contra testatur” obiectionem ponit, ad quam similiter a verbo „Sed” in principio dicti p. c. 51 C. I q. 1: „Sed notandum est, quod...” ope distinctionis inter collationem sacramenti aut in forma Ecclesiae, aut extra hanc formam ab haereticis ministrati respondet, sed obiectioni non consentit.⁷

Eodem modo in inscriptione c. 75 C. I q. 1 res se habet, ubi verbis: „Item obicitur”⁸ obiectionem ponitur, ad quam Gratianus in principio dicti p. c. 75 eiusdem Causae et Quaestionis ope distinctionis inter sacramentorum ministrum catholicum et haereticum respondet, responsum hoc pro more suo a verbo „sed” incipiens: „Sed hoc de peccatore tantum catholico, non haeretico intelligendum est”⁹, atque eo ipso praefatam obiectionem sententiam propriam non esse ostendens.

In inscriptione c. 90 C. I q. 1 Gratianus obiectionem verbis „Sed obicitur”¹⁰ inducit, cui tamen obiectioni non assentiens in principio dicti p. c. 95 C. I q. 1 aliter ac hucusque a verbo „Cum” incipiens respondet, et neque opinionem in obiectione allatam peni-

tamen metitur...: sit et pecunia, que per symoniam acquiritur, felicem habet exitum, cum pauperibus profutura erogatur. Sed nichil horum symoniaciis patrocinatur.”

⁵ Dictum Gratiani p. c. 29 C. I q. 1: „§ 1. Sed obicitur illud Augustini contra hereticos...”

⁶ Dictum Gratiani p. c. 39 C. I q. 1: „...Sed notandum est, quod sacramentorum alia sunt dignitatis, alia necessitatis. Quia enim necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem, illa sacramenta, que salutis sunt necessaria, quia iterari non possunt, cum sint uera, auferri uel amitti non debent, sed cum penitentia rata esse permittuntur. Illa uero sacramenta, que sunt dignitatis, nisi digne fuerint administrata, ita ut digni digne a dignis prouehantur, dignitates esse desinunt, non ut minuatur ueritas sacramenti, sed ut cesset officium administrandi, uel loco, uel tempore, uel promotione.”

⁷ Dictum Gratiani p. c. 51 C. I q. 1: „Sed notandum est, quod heretici, ut Arriani et Sabelliani, quorum alii inequalitatem, alii indiscretionem personarum confitebantur, baptismum non in forma ecclesiae, sed suae peruersitatis ministrabant...”

⁸ „Item obicitur illud Ieronimi ad Luciferianum...”

⁹ Dictum Gratiani p. c. 75 C. I q. 1: „Sed hoc de peccatore tantum catholico, non heretico intelligendum est. Qui quicquid cum fide pro officio suo facit licet indignus, tamen diuina gratia cooperante ratum esse creditur. Alioquin si de hereticis dictum intelligitur, ipse sibi contrarius esset, cum dicat in Osee (immo est in Amos 5): 'Sacrificia eorum etc.' Et alibi in persona Domini.”

¹⁰ „Sed obicitur illud Ieronimi in Sophonia...”

tus approbat, neque penitus reprobatur, sed ope distinctionis: „Cum uita sacerdotum eucharistiae necessaria esse dicitur, non consecrationi, sed effectui intelligendum est...”¹¹ quaestionem solvit.

Ut ex his exemplis patet, Magister diversas opiniones tenet ab his, quas in obiectionibus vel oppositionibus a se adductis exponit, et quaestiones solvit aut obiectiones refutans, aut thesin suam cum obiectione vel oppositione ope tertiae sententiae concilians, quam ipse tenet, et ad quam ope distinctionis post obiectionem inducta frequenter pervenit, atque responsa sua maxima ex parte a coniunctione disiunctiva „Sed” incipit.

In eiusmodi vero responsis Magistrum sententiam ponere, quam ipse tenet, licet eam non raro ulterius examinet et diversis rationibus accomodat, ex verbis, quibus solutiones ab eo datae incipiunt, ut „respondetur”, „competenter solvit”, „notandum est”, „intelligendum est”, etc., patet.

*B. De caractere oppositionis Gratiani
in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relatae*

Casus auctoritatis in C. I q. 1 c. 97 contentae et dicti post hanc auctoritatem adiuncti cum exemplis supra allatis aliquatenus concordat, aliquatenus autem ab eis differt. In eo autem concordat, quod Gratianus opinionem propriam numquam in obiectionibus, sed potius in solutione quaestionis verbis „Sed...”, „intelligendum est”, vel similibus annotata manifestat. Hic modus sententiam propriam Gratiani manifestandi etiam in dicto p. c. 97 C. I q. 1 locum habet.

Postquam enim Magister thesi suae de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti auctoritatem Augustini in C. I q. 1 c. 97 relatam obiecit, et postquam deinceps huic auctoritati in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 repugnavit, in § 3 eiusdem dicti quaestionem explicans more suo sententiam propriam ponit: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus...”

Casus tamen auctoritatis in C. I q. 1 c. 97 contentae et dicti post hanc auctoritatem adiuncti ab allatis exemplis methodum obiectionis-

¹¹ Dictum Gratiani p. c. 95 (palea) C. I q. 1: „Cum uita sacerdotum eucharistiae necessaria dicitur, non consecrationi, sed effectui intelligendum est; non enim effectum confert salutis ei, quem merita faciunt indignum; potius completur in eo illud Apostoli (I Cor 11, 27): 'Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.' Ergo contra eos, qui crebra oblatione sacrificii se putant posse mundari, non cessantes impie agere in lege Dei, intelligitur illud esse dictum Ieronimi. Quod uero sacerdos, etiamsi malus sit tamen pro officio suae dignitatis gratiam transfundat hominibus, testatur Augustinus in lib. questionum ueteris test. (c. 11)...”

nes vel oppositiones a Gratiano ponendi illustrantibus valde differt.

Magister enim in dicto p. c. 96 C. I q. 1 thesin de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti ponit, et contra hanc thesin primum ex D. XIX c. 8¹² obiectionem inducit, quam, quia cum decretis Romanorum Pontificum non concordat, reicit.

Deinde contra eandem thesin Magister aliam obiectionem ex auctoritate Augustini in C. I q. 1 c. 97 contenta inducit.

Contra autem hanc Augustini auctoritatem, quae ut obiectio contra thesin Gratiani inducta est, Magister in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 a verbo incipiens „Opponitur” iterum obicit.

Quia autem haec secunda oppositio in § 2 supra memorati dicti allata contra auctoritatem Augustini, cum qua Gratianus non concordat, directa est, sequitur, ut in praefata oppositione Magister sententiam propriam proposuerit.

Ex alia autem parte, si assertiones de nulla potestate sacrificandi sacerdoti suspensio vel deposito relinquenda, atque de potestate sacros ordines largiendi episcopo degradato non habita opinioni Augustini oppositae ita intelligerentur, ut revera de omni, i. e. sive sacramentali sive non sacramentali potestate amittenda agatur, enuntiationes istas etiam cum ipsius Gratiani sententia de inamissibili sacramentali potestate ordinis non concordare admitendum esset.

Quaestio igitur consideranda est, utrum assertio Gratiani: „Opponitur autem huic sententiae Augustini: ...Suspensio enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi... Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit” in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata sententia Magistri propria sit, necne. Si autem sententia eius propria est, quia cum eius opinione de validis in se sacramentis a quibusvis sacerdotibus in forma Ecclesiae celebratis saepe in Decreto repetita non concordat, quonam sensu intelligenda sit, merito quaerendum est.

C. Opiniones de auctore assertionum Augustino oppositarum

1. Prima opinio

Suppositio, secundum quam praefatae assertiones de omni potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspen-

¹² Vide supra, pag. 26.

sis, depositis vel degradatis amittenda Gratiani propriae non sunt, hac imprimis ratione fulcitur, quod, ut dictum est, enuntiationes istae cum opinione Magistri haereticos neque sacramentum ordinis neque sacramentalem ordinis potestatem amittere tenentis non concordant.

Secunda ratio haec est, quod Gratianus in solutionibus quaestionum, non vero in obiectionibus vel oppositionibus suam sententiam ponit. Qui procedendi modus etiam in dicto p. c. 97 C. I q. 1 a Magistro servatur.

Gratianus enim postquam in § 2 eiusdem dicti Augustino repugnavit, in § 3 huius dicti propriam opinionem ex parte tantum Augustino opponens et a verbis incipiens, quibus pro more suo quaestiones solvit: „Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis...” manifestat.

Quia autem finis Decreti conficiendi a Magistro intentus discordantium canonum concordia demonstranda erat, in duobus oppositionis elementis, i. e. in praefata auctoritate Augustini et in § 2 dicti post hanc auctoritatem adiuncti diversarum auctoritatum sententia saltem aliquo modo resplenderi debet.

Et revera generali assertioni Augustini de potestate sacerdotibus haereticis non amittenda Gratianus in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 generales enuntiationes opponit, quae assertionibus Cypriani similes sunt. Iste enim asserit: „Dicimus omnino omnes hereticos et scismaticos nil habere potestatis ac iuris.”¹³ Huic autem assertioni similis est illa a Gratiano in memorato loco adducta: „Suspenso enim vel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi...” Deinde cum hac assertione a Gratiano allata alia etiam enuntiatio eiusdem Cypriani concordat, scilicet: „eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.”¹⁴

Ex praefatis Cypriani assertionibus de omni prorsus, i. e. sacramentali, et non sacramentali potestate haereticis non habenda concludi posse videtur. Forsitan igitur Gratianus generali assertioni Augustini de potestate sacerdotali non amittenda¹⁵ in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 assertiones Cypriani de nulla prorsus potestate haereticis habenda opposuit, in § 3 autem memorati dicti inter sacramentalem potestatem ordinis et eiusdem potestatis executionem distinguens praefatas auctoritates contrarias conciliavit.

¹³ C. XXIV q. 1 c. 31 — Cypr. epist. 69 ao. 255 scr.

¹⁴ C. I q. 1 c. 70 — Cypr. epist. 70; eadem fere leguntur in conc. Carthag. ao. 256 hab.

¹⁵ C. I q. 1 c. 97 (princ.): „Quod quidam dicunt, baptisma, quod accepit, non amittit qui recedit ab Ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici...”

2. Secunda opinio

Praefata tamen suppositio hanc ob rationem infirma esse videtur, quia Gratianus discordantium canonum concordiam in suo Decreto demonstrare intendens singularum auctoritatum vel opinionum auctores indicat, assertionem vero de omni potestate sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amittenda assertioni Cypriani similem in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 referens auctoris eius nullam mentionem facit.

Quam ob rem alia opinio praeferenda est, secundum quam assertiones de omni potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amittenda sententiae ipsius Gratiani propriae sunt.

Gratianus enim in quaestione de effectu sacramenti ordinis examinata contra thesin de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti in dicto p. c. 96 C. I q. 1 positam et defensionem in inscriptione c. 97 C. I q. 1 ex auctoritate Augustini hoc capite contenta obiectionem inducit, cui in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 iterum opponit.

Oppositio igitur haec aliqua obiectionis contra praefatam thesin Gratiani ex auctoritate Augustini desumptae refutatio est, ergo hanc ob rationem sententia Magistri propria esse manifestatur.

Deinde in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 Gratianus Augustino ex similitudine sacramentorum baptismi et ordinis de potestate sacerdotali consecratione danda recedentibus ab ecclesia non amittenda concludenti inconsequentiam argumentationis obiciens inter ius baptizandi, ius Eucharistiam consecrandi, et sacros ordines largiendi magnam differentiam esse asserit.

Non est dubium, quin haec sacramentorum distinctio, ut supra demonstratum est, atque distinctio inter potestatem baptizandi, potestatem Eucharistiam conficiendi, et sacros ordines largiendi in ea fundata opinio Magistri propria sit.

Haec autem opinio exemplo potestatis sacerdotalis suspensis, degradatis, et depositis amittendae ita illustratur:

„Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspensio enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquatur potestas sacrificandi. Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacrae (imo execrandae) unctionis assumunt. Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque con-

secratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit."

Quia igitur opinionem de distinctione sacramentorum et de diversa potestate diversis sacramentis insita atque hac distinctione fundata, quae procul dubio opinio Magistri propria est, iste exemplo potestatis sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amittendae illustravit, non est dubium, quin Magister in eiusmodi exemplis similiter opinionem propriam manifestaverit. Nemo enim sanae mentis opinionem, quam tenet, exemplis illustrat, quibus non assentiat.

Assertiones de potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amissa in praefata oppositione contra Augustinum relatas Gratiani esse eiusque persuasionem propriam manifestare etiam ex primis fragmentis dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 comprobari potest.

Dictum enim hoc, in quo quaestio de haereticorum excommunicandi potestate examinatur, dicto p. c. 97 C. I q. 1, ubi Magister de haereticorum potestate baptizandi, Eucharistiam consecrandi, et ordines conferendi disserit, simile est.

Similitudo autem haec, ut infra demonstrabitur, in utriusque memorati dicti structura, in potestatis sacerdotalis distinctione tantum ex duobus elementis constanti, immo et in ipsis expressionibus consistit. Huius similitudinis ratione habita in quaestione, utrum assertiones de potestate sacrificandi, et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis non habita in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relatae Gratiani propriae sint, necne, similibus assertionibus Magistri in dicto p. c. 37 C. XXIV q. 1 relatis uti opportunum esse videtur.

Etenim Gratianus ut thesi suae de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti in dicto p. c. 96 C. I q. 1 positae ex auctoritate Augustini in c. 97 C. I q. 1 contenta in § 2 dicti post hanc auctoritatem adiuncti, sic thesi suae ex auctoritatibus eductae et in principio dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 positae: „His auctoritatibus perspicue monstratur, quod, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliqua docere, nec deicere aliquem ualet nec dampnare” ex eadem Augustini auctoritate in C. I q. 1 c. 97 relata repugnat ita scribens: „§ 1. Obicitur tamen illud Augustini: 'Recedentes a fide nec baptisma, nec baptizandi potestatem amittunt.'”

Deinde Magister ex thesi sua et ex praefata obiectione eidem facta quaestionem examinandam ita format: „Cum ergo sacerdotalem unctionem utraque potestas, baptizandi uidelicet et excommunicandi, sequatur, a fide recedentes aut utramque retinebunt, aut utraque carebunt”, eamque ita explicat: „Sed aliud est potestas offitii, aliud executio. Plerumque offitii potestas uel accipitur,

ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta sine sui executione retinetur, ueluti a suspensis, quibus administratio interdicitur, potestas non aufertur. A fide itaque recedentibus potestas non adimitur, sicut redeuntibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri.”

Quia autem in praefata oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata etiam explicatio differentiae inter opiniones Doctoris illius Ecclesiae et Gratiani existentis datur, oppositio haec simili explanatione in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 data interpretanda esse uidetur.

In § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 de executione a potestate sacramentali distincta et exemplo suspensorum illustrata ex verbo „ueluti” a Gratiano adhibito comperitur. Verbo namque isto exempla ad aliquam rem illustrandam adhibita saepe annotantur.¹⁶

Cum igitur in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 Gratianus Augustino ex similitudine sacramentorum baptismi et ordinis de potestate sacerdotali consecratione danda et haereticis non amittenda concludenti opponens inter ius baptismum, ius consecrandi Eucharistiam, et largiendi sacros ordines magnam differentiam esse asserat, et deinceps ita scribat: „Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi... Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet”, Magistrum exemplo potestatis non sacramentalis sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amissae usus fuisse ex similitudine dictorum p. c. 97 C. I q. 1 et p. c. 37 C. XXIV q. 1 concludi potest.

Horum namque dictorum similitudine attendita uerbum „enim” in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adhibitum eandem ac uerbum „ueluti”, quo Gratianus in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 usus est, exempli introducenti significationem habet.

Expedita quaestione de Gratiano assertionum in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relatarum auctore quaestio adhuc solvenda restat, quomodo praefatae assertiones: „Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi... Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...” intelligendae sint.

D. De significatione enuntiationum Gratiani in oppositione contra Augustinum relatarum

Significatio assertionum: „Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquitur potestas sacrificandi... Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...” in op-

¹⁶ Cf. e.g. § 5 dicti Gratiani p. c. 41 C. II q. 6; dictum Gratiani p. c. 30 C. XI q. 1; § 2 dicti Gratiani p. c. 7 C. XIII q. 2; § 1 dicti Gratiani p. c. 23 C. XXIII q. 4, et dictum Gratiani p. c. 5 C. XXIV q. 2.

positione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 adductarum a Gratiano intenta duplici sensu, nempe alio reali, alio vero formali vel methodico, considerari potest.

Quo in altero casu admittendum esse videtur Gratianum, ut oppositionem suam contra Augustinum firmiter annotaret, generali assertioni Doctoris illius Ecclesiae de potestate sacerdotibus non amittenda similiter generali modo opposuisse, scilicet sacerdotibus potestatem sacrificandi vel sacros ordines largiendi aliquando non relinqui dicentem. Hoc autem Magister solius oppositionis causa modo contradictorio formandae, non vero ratione persuasionis propriae manifestandae, quatenus scilicet potestas sacerdotibus revera amitteretur, facere poterat.

Si autem de sensu reali, i. e. in praefatis assertionibus reapse insito et persuasionem Gratiani revera manifestanti quaestio est, Magistrum tantum de omni potestate non sacramentali in casu amittenda, non vero de potestate sacramentali asseruisse respondendum est. Hoc enim multis modis probari potest.

Ex eo namque, quod auctoritas Augustini in C. I q. 1 c. 97 relata et oppositio Gratiani contra eam in quaestione de effectu sacramenti ordinis, non vero in quaestione de eiusdem ordinis validitate sacramentali inductae sunt, Magistrum, ne sibimet ipsi contrarius esset, omnem omnino, i. e. sacramentalem, et non sacramentalem potestatem amissibilem esse tenere non potuisse concludendum est.

Ammissione enim omnis potestatis sacerdotalis admissa etiam ipsam quaestionem de effectu sacramenti ordinis in dicto p. c. 96 C. I q. 1 positam false a Magistro praenuntiatam esse admittendum esset. Reapse enim potius de sacramento ordinis ab haereticis invalide ministrato, ergo et de sacramentali potestate ordinis haereticis non habenda, quam de eodem sacramento tantum effectu carenti atque de potestate non sacramentali amittenda ageretur.

Deinde praefatae assertiones Gratiani de omni potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amittenda, quamvis generales sint, non tamen adeo generales intelligendae sunt, ut etiam potestatem sacramentalem memoratis sacerdotibus amittendam necessario comprehendant. De sola enim atque omni potestate non sacramentali amittenda intelligi possunt.

Talis praefatarum assertionum significatio ex eo probari potest, quod Magister in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 supra relato similem quaestionem examinans opinionem de potestate tantum non sacramentali sacerdotibus suspensis amittenda affert, quam opinionem eius propriam esse certum est. In memorato enim dicto ita legitur: „Plerumque offitii potestas vel accipitur, veluti a monachis in sacerdotali unctione, vel accepta sine sui executione retinetur,

ueluti a suspensis, quibus administratio interdicitur, potestas non aufertur. A fide itaque recedentibus potestas non adimitur, sicut redeuntibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri."

Ut enim patet, Gratianus duplicem potestatis sacerdotalis speciem distinguens, scilicet „officii potestatem”, et „executionem” seu „administrationem”, tantum de executione seu administratione sacerdotibus suspensis interdicta, non vero de potestate officii eis ablata disserit, quam hanc ob rationem amitti non posse tanet, ne sacramento iniuria fiat.

Deinde principium de executione seu administratione amittenda, quia in ea parte dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 refertur, quae explicationem quaestionis continet, ut opinio certa et stabilis, seu ut mensura mensurati ponitur, quod ex adverbio „ueluti” patet, quo applicatio eiusdem principii annotatur. Assertio vero § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 de cuncta potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amissa, quia in ea parte eiusdem dicti posita est, quae obiectionem, non vero plenam explicationem quaestionis constituit, eodem modo certam significationem non habet.

Assertio igitur de nulla potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis relicta in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 posita sive ut oppositio methodica, scilicet ad discrimen inter sententiam Augustini et opinionem Gratiani modo magis manifesto fundandum introducta esse intelligatur sive ut opinio persuasionem Gratiani reapse manifestans existimetur, in utroque casu ex quaestionis explicatione in § 3 eiusdem dicti a Magistro ex professo data, in qua, ut infra demonstrabitur, tantum de potestate non sacramentali, non vero de sacramentali potestate ordinis amittenda sermo est, reuera dependet, atque assertionum ibidem allatarum ratione habita existimanda est.

Gratianum de potestate sacerdotali in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 disserentem, et assertionem suam exemplo nullius potestatis sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis relinquendae, in § 1 autem dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 simili exemplo executionis seu administrationis sacerdotibus suspensis amissae illustrantem lectorem allocutum fuisse, a quo, ut recte intelligeretur, exemplis potius manifestis et obuiis uti debuisse praesumendum est.

Quia autem in auctoritatibus Decreti assertiones de sacramentali ordinis potestate amittenda non reperiuntur, et quia ex multis enuntiationibus Gratiani iisdem auctoritatibus fulti de sacramentali potestate ordinis non amittenda certiores facti sumus, ex quo de simili persuasionem Gratiani coetaneorum in antiquissima atque constanti Ecclesiae traditione fundata praesumi potest, Magistrum

exempla nullius potestatis sacrificandi sacerdotibus suspensis, et depositis relinquendae afferentem nonnisi potestatem non sacramentalem in mente habuisse concludendum est.

Oppositio autem illa contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano allata, si sensu potius methodico, quam reali, i.e. de omni potestate, scilicet sacramentali et non sacramentali, amittenda intelligeretur, atque hanc ob causam introducta, ut contradictio inter utrumque virum doctum magis pateret, nimis artificialis, et non solum cum constanti Ecclesiae traditione, verum etiam cum simili assertionem Magistri in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 allata non concordaret.

Hoc autem artificiali, vel, ut ita dicamus, academico quaestionis formandae modo, Magister neque opinionem Augustini infirmare, neque opinioni propriae a sententia Doctoris illius Ecclesiae diversae faveret, quae enim in oppositione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 asseruisset, in explicatione quaestionis in § 3 eiusdem dicti ex professo allata emendaret.

De cetero, verbis § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1: „Suspensio enim uel depositio sacerdote, nulla ei relinquatur potestas sacrificandi” et discrimini inter sententiam Augustini et opinionem Gratiani existenti manifeste formando, et persuasioni de nulla potestate tantum non sacramentali sacerdotibus suspensis, et depositis relinquenda hisce temporibus vigenti satis fiebat.

Has igitur ob rationes assertionem Gratiani de nulla potestate sacrificandi vel sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis relinquenda in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 positam tantum de amissione omnis potestatis non sacramentalis, non vero de amissione potestatis sacramentalis pronuntiatam esse concludendum est.

Huic tamen conclusioni ipsa enuntiatio Gratiani cum analogica enuntiatione Augustini comparata obstare videtur. Etenim Doctor ille Ecclesiae in auctoritate in C. I q. 1 c. 97 relata asserit: „§ 1. ...nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud, cum baptizatur, illud, cum ordinatur; ideo non licet a catholico utrumque iterari... § 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est...” Non est dubium, quin de sacramentali ordinis potestate in casu agatur.

Huic autem assertioni Augustini enuntiatio in oppositione contra Doctorem illum Ecclesiae in dicto p. c. 97 C. I q. 1 relata respondet haec: „§ 2. ...Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat.

Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...”

Ex hac enim assertione Gratiani cum assertione Augustini comparata Magistrum nomine potestatis sacros ordines largiendi degradato episcopo non habitae potestatem sacramentalem denotasse concludi possit. Potestas namque haec ab Augustino sacramentum esse, et in ordinatione inesse dicitur, a Gratiano vero ad hanc Doctoris illius Ecclesiae enuntiationem alludenti consecratione proveniri asseritur.

Praefata tamen obiectio facile refelli potest. Etenim congruenter cum his, quae supra de fine argumentandi ab utroque viro docto intento diximus, Augustinus de „iure dandi”, quod in ordinatione inest, disserens, sacramentalem ordinis potestatem in mente habet. Gratianus vero in oppositione contra Doctorem illum Ecclesiae in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata asserens: „Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamvis utrumque consecratione proueniat. Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet...” de potestate non sacramentali amittenda loquitur. Deinde Magister, ut infra ex professo sermo erit, in § 3 eiusdem dicti ope distinctionis potestatis sacerdotalis exemplis illustratae questionem explicans, potestatem non sacramentalem hanc ob rationem in consecratione dandam esse intelligit, quia eam sacramenti ordinis effectum esse tenet.

Cum autem verus sensus assertionis Gratiani de omni potestate sacrificandi et sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amittenda non solum ex obiectione in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 contra Augustinum allata, sed etiam ex solutione quaestionis in § 3 eiusdem dicti data, ex qua potestatem non sacramentalem eamque amissibilem per modum effectus ex consecratione proveniri constet, enucleandus sit, enuntiatio Gratiani in praefata obiectione contra Augustinum allata de omni potestate amittenda de potestate non sacramentali, non vero de sacramentali ordinis potestate intelligenda est.

Huic tamen conclusioni ita etiam obici possit: Ex modo argumentandi a Gratiano communiter adhibito et supra demonstrato Magistrum in responsis vel quaestionum solutionibus post obiectiones allatis, non vero in obiectionibus a se adductis, sententiam propriam manifestare constat. Assertio autem Gratiani de omni potestate sacrificandi sacerdotibus suspensis, degradatis vel depositis amittenda in obiectione contra Augustinum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 allata, non vero in solutione quaestionis in § 3 eiusdem dicti data, refertur, ergo opinio Magistri propria non est.

Gratianum in solutionibus quaestionum opinionem suam revera et demonstrare et defendere respondendum est. Sed casus auctori-

tatis Augustini in C. I q. 1 c. 97 relatae et dicti post hanc auctori-Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non tatem annexi omnino specialis est, et a modo opiniones proprias manifestandi a Gratiano communiter adhibito valde differt. Etenim ipsa praefata auctoritas Augustini ut obiectio contra thesin de sacramento ordinis ab haereticis ministrato eoque effectu carenti a Gratiano introducta est, ut ex inscriptione auctoritatis Augustini in C. I q. 1 relatae patet.

Oppositio igitur Gratiani in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 relata non solum obiectio Augustino facta, verum etiam thesis Magistri propriae defensio est. Hanc autem ob rationem omnino oportebat Gratianum in oppositione sua contra Doctorem illum Ecclesiae opinionem propriam manifestare, ne Magister objectionem contra thesin propriam assertionem, quam ipse negaverat, impugnans, opinionem suam potius infirmare, quam confirmare videretur.

Assertiones igitur in oppositione contra Augustinum in § 2 C. I q. 1 allatas Gratiani proprias esse, atque tantum ad potestatem non sacramentalem sacrificandi vel sacros ordines largiendi sacerdotibus suspensis, degradatis, et depositis amitendam referri concludendum est.

*E. De differentia inter Augustinum et Gratianum
diversam diversis in sacramentalis administrandis
potestatem respicienti*

Ut ex comparatione variarum enuntiationum Augustini et Gratiani patet, oppositio inter utrumque virum doctum neque validitatem sacramentorum a quibusvis sacerdotibus rite confectorum vel collatorum, neque opinionem de sacramentali potestate non amittenda respicit. In hoc enim uterque vir doctus concordat.

Differentia inter Augustinum et Gratianum diversam opinionem de sacramentis respicit. Augustinus enim ex similitudine sacramenti baptismi et ordinis non solum neutrum amitti posse concludit, verum etiam ut potestatem baptizandi, sic potestatem ordines conferendi inamissibilem esse tenet.

Gratianus autem variorum sacramentorum diversum characterem distinguens in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 haec Augustino obicit: „Non ergo consequenter colligitur, ut si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamvis utrumque consecratione proueniat”.

His igitur verbis differentia inter baptismum et ordinem assignata est, primum in alio loco sacramentum necessitatis, secundum vero sacramentum dignitatis a Gratiano est vocatum.¹⁷

¹⁷ E. g. in § 2 dicti p. c. 39 et in dicto p. c. 106 C. I q. 1; cf. etiam dictum Gratiani p. c. 58 C. I q. 1.

Sed differentia inter Augustinum et Gratianum ut sacramenta ipsa, sic potestatem in sacramentis administrandis respicit. Augustinus enim diversam in diversis sacramentis potestatem non distinguit, distinguit vero Gratianus, qui in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 ita scribit: „Opponitur autem huic sententiae Augustini: Potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurium inter se differunt... Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamvis utrumque consecratione proueniat.”

In C. I q. 1 c. 97 Augustinus de „iure dandi” baptismum et ordines disserit. Gratianus autem in oppositione sua contra Doctorem illum Ecclesiae in § 2 dicti post hanc auctoritatem allata de facultate baptizandi, iure baptizandi, potestate dandi baptismum, atque de iure consecrandi Dominicum Corpus, de potestate sacrificandi, necnon de iure largiendi sacros ordines, de potestate distribuendi sacros ordines vel de potestate largiendi sacros ordines loquitur.

Ex nominibus: facultas, ius, potestas, a Gratiano promiscue adhibitis Magistrum omnibus his nominibus potestatem denotare constat. Immo Gratianum Augustinum de „iure dandi” baptismum et ordines disserentem Doctorem illum Ecclesiae de potestate loqui intellexisse concludendum est.¹⁸ Non aliter enim, nisi in eodem obiecto Gratianum Augustino resistere intelligendum est. Obiectum igitur oppositionis inter opinionem Augustini et Gratiani existentis potestas sacerdotalis est.

Cum igitur oppositionem inter opinionem Augustini et Gratiani in potestate sacerdotali consistere certum sit, quodnam huius oppositionis obiectum sit accuratius sumptum, quaeri potest.

*F. De differentia inter Augustinum et Gratianum
in notione potestatis non sacramentalis fundata*

Ut ex dicitis patet, non est dubium, quin differentia inter opinionem Augustini et Gratiani potestatem sacerdotalem respiciat. Quia deinde quaestio haec in ambitu effectus sacramentorum versatur, et eorundem validitatem sacramentalem non respicit, sequitur, ut controversia inter utrumque virum doctum in § 2 dicti p. c. 97 C. I q. 1 annotata ad potestatem referatur, quae non sacramentalis est, cuius in ministro sacramentorum deficientia sa-

¹⁸ Gratianus sententiam Augustini de „iure dandi” baptismum et ordines in C. I q. 1 c. 97 allatam etiam in § 1 dicti p. c. 37 C. XXIV q. 1 refert, ubi nomine iuris potestatem ab Augustino denotatam esse intelligit: „Obicitur tamen illud Augustini: 'Recedentes a fide nec baptisma, nec baptizandi potestatem amittunt.'”

cramentum sive baptismi sive ordinis conferendum invalidum efficere non potest.

Sed neque ratione potestatis non sacramentalis eiusque amissibilis opinio Gratiani ab opinione Augustini differt, nempe ita, ut hic potestatem non sacramentalem non agnoscat, ille vero agnoscat. Etenim Augustinus sacerdotes haereticos sacramentalem ordinis potestatem amittere non posse tenens simul tamen eos aliquam potestatem amisisse officiaque sua non amplius exsequi posse asserebat: „etsi uisum est opus esse, ut eadem officia gererent, que agebant... Et cum ipsi expedire uidetur ecclesiae, ut prepositi eorum (haereticorum; KN), uenientes ad catholicam societatem, honores suos ibi administrent...”¹⁹

Augustinus igitur sacerdotes ex haeresi ad Ecclesiam redeuntes officia exsequi non debere agnoscebat, simul tamen Ecclesiam in casu necessitatis vel convenientiae administrationem officiorum sacerdotalium haereticis ad Ecclesiam redeuntibus mandare posse tenebat. Haec Augustini persuasio aliquoties ab eo manifestata Gratiano ignota esse non poterat.

Ad sacramentalem igitur ordinis potestatem quod attinet, inter Augustinum et Gratianum differentia non est. Deinde, ad ipsam potestatis non sacramentalis existentiam quod attinet, similiter nulla inter utrumque virum doctum differentia perspici potest. Quia tamen Magister ratione diversae potestatis ad varia sacramenta administranda necessariae et in eorundem diverso caractere fundatae Augustino repugnat, quaestio de controversia inter hos viros doctos habita et potestatem non sacramentalem respiciens aliis quoque rationibus, quae ex solutione controversiae in dicto p. c. 97 C. I q. 1 a Gratiano data patebunt, examinanda est.

(continuabitur)

¹⁹ C. I q. 1 c. 97 § 2.